

47.

46.

PIETATIS IMAGO  
 IN  
 VIRO SVMMO  
 SAM. STRYCKIO,  
 IVRECONSULTORVM GERMANORVM PRINCIPE  
 NVNC BEATO  
 ELVCESCENS

quod  
 Præsenti Epistola

Ad  
 Virum Excellentissimum  
 IO. SAM. STRYCKIVM,

IVRECONSULTVM APVD HALENSES CELEBERRIMVM  
 demonstrat  
 ET QVID PIETAS SIT HISTORICA  
 declarat

BVRCARD GOTTHELFF STRUVE.

---

IENÆ, LITTERIS CHRISTOPHORI KREBSII.

gr. erud.  
 676,56

*V. Erud. vng. Joh. Str. - Sud*

PIETATIS IMAGO

ANNO 1711

SAM. STRYCKIO

RECONSULTUM AB AD HALENSIS CURIA

1711

1711

Præsent. Epistola

1711

Nomen Excellentissimum

IO. SAM. STRYCKIO

RECONSULTUM AB AD HALENSIS CURIA

1711

ET QUID PIETAS SIT HISTORIA

1711

BYRCARD GOTTHELF STRYCKIO

ANNO 1711

2



*Vir Excellentissime.*



Vamprimum mortem optimi Parentis Tui nuntiasti, iacturam, quam vniuersa Germania in tanto Viro fuit perpeſſa, mecum perpendi. Immo ſubiit animum meum tacita veneratio, dum conſiderarem, communem Germaniæ Præceptorem vita pariter ſpirituque eſſe priuatum. Aſt, dum ratione luſtrarem, quæ adhuc apud eruditos, omnes que bonos ſuperſit beati Viri memoria, qui eundem magnum atque Iureconſultorum Principem adpellare non dubitant, ipſe penitus examinare cœpi, qua ratione hoc potiffimum conueniat elogium. Si quidem exempla veterum Iureconſultorum conferamus, reperiemus inter ea, quæ ipſos lane magnos redderent &

fere diuinos. Vnicum in medium proferamus Bartolum, quem modo Speculum & Lucernam Iuris, modo virtutem Iuris, ducem vniuersorum, robur veritatis, aurigam optimum, Apollinem Pythium, Apollinis oraculum, Patrem, Magistrum, lumen humani Iuris, vas electum, \* & quæ sunt alia, adpellitabant. Hæc sane ad beatum parentem Tuum maiori adhuc ratione possint adplicari. Ast, vana hæc sunt, gloriari scientiis humanis. Magnum potius dixerim beatum parentem Tuum ob eximiam pietatem, eandemque infucata. Adgnouerunt illud haut ita pridem Gallorum eruditi, in quorum ore \*\* versatur nobilis ista quæstio in ipsorum academia proposita, nihil magis homines reddere magnos, quam pietatem, ita, vt certo statuto pretio inuitarentur eruditi, ad eandem, omni, qua pollent, sermonis facultate decidendam. Fateor, egregia res est, in Rhetorum Scholis eiusmodi reperiri propositiones, cum istæ alias nil nisi vana seruent & profana: neque tamen aberrabo, si dicam, hæc ad pietatem oratoriam esse referenda. Pietas enim

---

\* Grauina *de ortu & progressu Iuris* P. I. p. 196.

\*\* La Clef du Cabinet des Princes Fevrier 1709. p. 149. L'Academie Françoise a fait anoncer, que suiuant la Coutume vsitée tous les deux ans, elle donnera le 25. du mois d' Août prochain le prix d' eloquence, dont le suiet sera que rien ne rend l'homme veritablement grand que la crainte de Dieu.

enim non in sermonis fluore, sed in vero cultu diuino, in infucata consistit Christi imitatione, quæ vnica Christianismi est regula, siue est actio, quæ Deum sequitur, vti recte Clemens Alexandrinus \* innuit. Neque tamen externam hanc pietatem in solis Rhetorum Scholis [ quibus adulari fere proprium est, ] reperire licebit, verum etiam in ipsa Historicorum grauitate, qui tanquam probos sæpe laudant illos, qui in exitium opprobriumque humani generis fuerunt nati: pios, qui supersticiosi. Scilicet, pietas historica plerumque est superstitio. Hoc vt eo plenius pateat, exempla eiusdem proferamus, vt ab eadem alienum fuisse beatum parentem demonstremus. Euoluamus Historicorum monumenta, in viris non solum Principibus, sed etiam illustribus, eius rei reperiemus veritatem. Initium faciemus a Numa Pompilio, quem Dionysius Halicarnassensis \*\* adpellat θεοσεβῆ pietatis cultorem, cum tamen ipse paullo post fateri necessum habeat, Numam pietatem suam saltim finxisse, vt legibus suis Minois Cretensis & Lycurgi exemplo, auctoritatem conciliaret. Quid in nummis atque marmoribus Romanis frequentius, quam pietatem

A 3

Impe-

\* Stromatum Lib. II. p. 30. εὐσεβεία ἐστὶ πράξις ἐπομένη καὶ ἀκόλῃ θός Θεῶ. Quare etiam Wippo vita Conradi Salici p. 427. ait: *nemo, nisi Christi imitator verus est dominator.*

\*\* Antiquit. Roman. Lib. I. p. m. 122.

Imperatorum celebrare. Omnes pii audiunt, omnes felices, si vel ab omni pietate alieni, si vel infelicissimi. Quod si templa extruxerint, sacra fecerint, ludos seculares celebrauerint, & quodcunque est superstitionis genus perfecerint, pietas Augusti, licet ipsi Imp. ignota, in nummis adparet. Si quis adhuc inter Imperatores Romanos gentiles, pro illo temporum statu Pii nomen meretur, est Antoninus Pius, licet etiam hoc cognomen Iulius Capitolinus \* putet esse superfluum. Dum enim in rationes inquirat, cur a Senatu hoc nomen impositum, hanc etiam profert, quod socerum fessa iam ætate, manu, præsentem senatu, leuaerit, in parenthesi addit: *quod quidem non satis magna pietatis est argumentum, cum impius sit magis, qui ista non faciat, quam pius qui debitum reddit.* Nolumus iam dicere de Imp. consecratis siue in deorum numerum relatis, qui sæpe erant improbissimi, quod mirum non esse debet, cum ipsis diis flagitiis non essent inferiores. A gentilibus vertimus nos ad Christianos, inter eosdemque primum Imperatorem Constantinum M. Quas non laudes immensas suo tribuit Constantino Eusebius, nihil pium, nihil probum, nihil putans esse religiosum quod non in ipso reperiatur. Verum, examinabimus pietatem Constantini. Christianis utebatur, non alia ex ratione, quam

---

\* *Vita Antonini Pii c. II.*

quam ut illorum ope aduersus Licinium aliosque Imperii amulos vteretur, ad eosdem suppressendos, alias vita minime Christianus. Quippe Faustam uxorem & Crispum \* filium ex ira præcipiti iussit occidi. Licinium non sine nota periurii \*\* fecit interfici, retento titulo & dignitate Pontificis Maximi \*\*\* præsidem adhuc egit sacrorum gentilium, atque Arianorum partibus impense fauit. Immo teste Eutropio, \*\*\*\* principatum totius orbis adfectabat. Constantinus & militaris gloriæ erat appetentissimus. Hæcine illa est pietas

\* Eutropius lib. X. c. IV. *Insolentia rerum secundarum aliquantum Constantinus ex illa fauorabili animi docilitate mutauit. Primum necessitudines persecutus, (Crispum filium) egregium virum, & sororis filium, commoda indolis iuuenem interfecit; mox uxorem, post numerosos amicos. Quare etiam Zosimus lib. II. c. XXIX. dicit, quod Crispum necando nullam rationem iuris naturalis habuerit τὸ τῆς φύσεως θεομὲ μηδὲνα λόγου ποιησάμενος.*

\*\* Eutropius c. I. Licinium contra religionem sacramenti occisum esse dicit. Hieronymus Chron. ad an. 327. *Licinius Thessalonice contra ius sacramenti priuatus occiditur.* Zosimus lib. II. c. XXVIII. τὰς ὀρκὰς πατήσας: Orosius lib. VIII. XXVIII. dicit, quod Herculei Maximiani, soceri sui motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem reip. sumeret, priuatum iusserit occidi.

\*\*\* Testatur illud Zosimus lib. IV. c. XXXVI. & post eum singulari tractatu Io. Andreas Bosius de Pontificatu Imperatorum Romanorum.

\*\*\*\* Eutropius lib. X. c. IV.

pietas tot laudibus ab Eusebio elata? Scilicet, hæc encomii ratio: omnia episcopis concedebat, ad eorundem nutum se gerebat, splendidissima templa extruebat, bona ecclesiis monasteriisque donabat frequentia, fundamenta iaciebat Monarchiæ clericalis. Si quid Christianis dedisse videtur, externa sunt, quæ Christianæ rei plus nocuerunt quam profuerunt. Christiani enim introductis in eorum sacra tot gentilium cæremoniis, a priorum temporum simplicitate ad mores seculi fuerunt relapsi. Degeneravit pius zelus, dum Christiani non in vera Christi imitatione vitæ regulam ponerent, sed in cæremoniis externis. Sacratissimus qui vulgo adpellatur Imperator, dicitur piissimus, \* Christianissimus \*\* & sanctus. \*\*\* Ast, ne dicamus de Procopii conuitiis, ipsi scriptores antiqui non satis iuste de Iustiniani pietate loquuntur. \*\*\*\* Ad Germanos perga-

\* Inscr. apud Gruterum p. 161. n. 1. Apud Gregorium *lib. III. ep. IV.* vocatur piæ memoriæ princeps.

\*\* In actis synodi VI. Paulo Diacono Longobard I. c. XXV. dicitur Princeps fide catholicus.

\*\*\* Apud Photii Scholiasten Nomocanone n. 2.

\*\*\*\* Audiamus Euagrium *lib. V. c. I.* ἔτω μὴν δὴ Ἰουστινιανὸς ἀπαξάπαντα ταραχὰς καὶ θορύβων πληρώσας, καὶ τὰ πῆχειρα τέτων πρὸς τὸ τέρματι τῆ βίης κομισάμενος, ἐς τὰ κατώτατα, μετεχώρησε δικαιοσύνην. Hinc etiam probe de eodem iudicat Io. Vincentius Grauna de Ortu & Progressu Iuris

Ciuis s. CXXX. dum ait: *Iustinianus propter contraria scriptorum*



pergamus, inter eosdemque primum Carolum M. cuius pietatem satis effert Eginhardus. \* Immo in tantum ipsius prædicatur pietas, vt vel Pontificii cum Protestantibus certent, cuiam religioni fuerit additus. \*\* Verum, quæ pietas? basilicam Aquisgranensem extruxit, eandem egregie ornauit, ecclesiæ Romanæ auctoritatem promouit. Ast, tot apud Saxones episcopatus instituit? Hæc non ad pietatem, verum ad artes politicas Caroli M. sunt referenda. Feroces enim Saxonum erant spiritus, hos vt mitigaret, eosdemq; magis subiectos sibi haberet, Gymnasia instituit atque episcopatus, vt studiorum non solum cultura, sed etiam ritibus Christianis Saxones in ordinem redige-

---

*ptorum studia & imperium cum Theodora muliere scenica, quam uxorem duxerat, communicatum, Princeps fuit ancipitis fame. Vtrobique tamen cum in erroribus, tum in virtutibus maximi nominis. In extollenda pariter veritate religionis, & in promouendis erroribus ad extremum vite susceptis acerrimus. Ad reparandas item, & simul ad euertendas precio leges paratissimus: vt intelligas præclara illius facinora non e virtutis studio, sed e popularis gloriæ cupiditate processisse, quam sæpe superabat alia cupiditas, nempe auaritia, eaque simulatas virtutes retegebat.*

\* Vita Caroli M. c. XXVI. religionem Christianam qua ab infanzia fuerat imbutus, sanctissime, & cum summa pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulcritudinis basilicam Aquisgrani extruxit.

\*\* Nota est controuersia inter Christianum Nifanium & Nicolaum Schatenium, an Carolus M. Protestantibus, an vero Pontificiis accensendus, de qua in Bibliotheca Historica cap. VII. p. 145.

digerentur. Patet hoc ex Bonifacii institutis, cuius ope ad Saxones conuertendos vsus fuit Carolus. Hic enim ecclesias iam pridem conuersas potius peruertit. \* Superest synodus Francofurtensis, qua tanto zelo imaginum cultus fuit condemnatus: hæc sane vel sola de Caroli M. pietate videtur posse testari. Sed, conuocata hæc synodus a Carolo M. potissimum ad sedandas turbas, quæ peruertere possint statum politicum, Filius ipsius Ludouicus, pius dictus, \*\* monachus aptior erat, quam Imperator, totus quantus erat, superstiosus. \*\*\* Post Ludouicum, Sancti nomen adeptus fuit

---

\* Testatur de illo Mislerus speculo Anti-Iesuitico c. II. sect. VI. p. 187. dum de Bonifacio eum ecclesias iam pridem conuersas plus deformasse, quam reformasse: Romanas ceremonias & splendidas ineptias instituendo, superstitiones confirmando, & doctrinæ corruptelas propagando, singulis sub velamine pietatis & utilitatis peractis. Adsentitur Elias Martinus Eyringius de ort. & progr. rel. Christ. in Franc. §. XIII. qui idem ex Bonifacii epistolis plenius patere testatur.

\*\* Fragmentum Chronici Cassinensis apud Franciscum du Chesne Tom. III. *Almi & Sancti* nomen ei tribuit. Auctor Vitæ Ludouici apud Pithæum Ann. p. 337. ipsum vocat *Deo amabilem atque orthodoxum Imperatorem.*

\*\*\* Patet hoc ex eo, quod, dum Bernhardum contra datam fidem oculis priuari fecerit, illud peccatum bonis operibus expiare voluerit. Sic enim Theganus cap. XX. *Tertio die post amissionem luminum Bernhardus obiit. Quod audiens Imperator magno cum dolore fleuit multo tempore, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & iudicio eorum pœnitentiam susce-*

fuit Henricus II. Summam eiusdem in amplificando religionis cultu diligentiam prædicant Scriptores. \* Sed, quænam ista pietas? sedes episcopales & Tempia per vniuersum regnum possessionibus multis & ornamentis ditare cœpit, atque monachis impensè fauit. \*\* Magna sanctitatis laus est Ludouici IX. ita, vt Scriptores Galli de eodem adserere non dubitent, quod plebes

B 2

paren-

---

*suscepit propter hoc tantum, quia non prohibuit consiliarios hanc crudelitatem agere. Ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ. In sententia exauertationis ipsius apud Pithœum Ann. p. 324. pietas ipsius plane euertitur his verbis. Quia idem princeps ministerium sibi commissum negligenter tractauerit & multa quæ Deo & hominibus displicebant & fecerit & facere compulerit vel fieri permiserit, & in multis nefandis consiliis Deum irritauerit & sanctam Ecclesiam scandalizauerit.*

\* Ottoni Frisingensi lib. VI. c. XXVII. & Alberico, ad an. 1024. dicitur Christianissimus & piissimus. Hos sequitur Gotfriedus Viterbiensis P. XVII. p. 483. & Compilatio Chronol. ad an. 1002. Chronographus Saxo ad an. 1004. ipsum vocat religionis diuinæ præcipuum.

\*\* Ob fundatum enim episcopatum Bambergensem, potissimum hoc nomen obtinuit. Sic enim Otto Frising. lib. VI. c. XXVII. *data sibi a domino requie, cum esset Christianissimus, nobilissimum episcopatum Babenberg fundauit, ac possessionibus & honoribus, sicut hodie cernitur, locupletauit. Sic etiam Chron. Laurishamense ad an. 1000. Cuius (Henrici) quantafuerint iustitiæ & pietatis insignia, testatur illa nobilis, quam condidit, & in qua conditus est Babenbergensis Ecclesia. Siquidem tanto religionis amore ducebatur, vt Monachorum pater appellaretur. Eadem tradunt Conradus Vsfperg. Chron. Hist. Henrici Chronographus Saxo.*

parentem, nobilitas principem, leges custodem, Francia verum Regem, religio vindicem sentiat. \* Non quidem omnem plane pietatis laudem denegare ausim Ludouico, cum in eodem commendando totus sit Guilielmus de Nangiaco, præcipue, quod matris Blancae cura, ad omne sapientiæ atque pietatis studium fuerit educatus. Ast, non defuerunt quoque, qui pleraque tribuerent superstitioni. \*\* Patebit illa ex diuersis eiusdem gestis. Tale est, quod, dum anno 1232. ex templo S. Dionysii vnus de clavis, quibus Christi corpus cruci affixum dicebatur, ablatus fuerit, Ludouicus immensum quid doluerit. \*\*\* Tale erat, quod disciplinam  
 recipe-

---

\* Paulus Aemylius Hist. Gall. lib. III. p. 142. 149. Quare etiam Io. de Serres Inuent. Gener. p. 109. de eo, postquam ipsius laudes enarrasset, ait. *digne donc d'un venerable nom de Sainct, duquel la posterité la honoré a fors bon tiltre.*

\*\* Varillas Minoritè de S. Louis p. 1. *Les heretiques des derniers siecles ont pris pour un excès de superstition la foi dont on vient de parler.*

\*\*\* Guil. de Nangiaco de Gest. Ludouici p. 405. *audientes vero rex & regina mater eius tam pretiosissimum thesaurum in regno suo fuisse perditum, vehementer doluerunt, dicentes, quod sibi nihil penitus potuisset nuntiari, vnde possent, aut deberent grauius molestari. Illustrissimus autem & pius iuuenis rex Ludouicus tandem præ doloris magnitudine exclamasse dicitur, se maluisse optimam regni sui ciuitatem hiatu terræ funditus periisse: qui statim viros eloquentes & eruditissimos a latere suo mittit, qui dolorem & fletum abbatis & conuentus sancti Dionysii, quos in consolabiliter contristatos audierat, verbis bonis & consolatoriis leuigarent.*

reciperet a confessore suo, quinque catenulis ferreis & quam alias pœnitentiam sibi ipsi iniungere solebat. \* Taceo lacrymarum affectationem, \*\* frequentes religiosorum visitationes, orationes pro defunctis, missarum suffragia atque alia superstitionis criteria. \*\*\* Adparent hæc potissimum in Ludouici testamento. Licet enim illud egregia comprehendat monita, quæ filio suo Philippo relinquit, nihilominus inserta quædam sunt, quæ pontificiam superstitionem omnino redolent. \*\*\*\* Eadem superstitio patet in ipsius morte, dum

B 3

dum

- \* Guil. de Nangiaco p. 443. *post confessionem vero suam semper disciplinam recipiebat a confessore suo quinque catenulis suis ferreis simul iunctis, quas in fundo cuiusdam paruule pyxidis eburneæ decenter infixas rex deuotus secum portabat, in quadam bursa ad zonam suam secreto pendente.*
- \*\* Guil. de Nangiaco p. 445. *Lacrymarum gratiam plurimum affectabat, & super hoc defectu confessori suo pie & humiliter conquirebatur.*
- \*\*\* c. l. *Congregationes religiosorum frequenter ac deuotissime visitabat, & ab eis pro se & amicis suis uiuis ac defunctis piarum orationum & missarum suffragia humiliter & flexis genibus in capitulis eorum postulabat, ita quod ex humilitate sua persone religiose frequenter ad lacrymas mouebantur.*
- \*\*\*\* Reperitur illud apud Guilielmum de Nangiaco p. 468. *multa tamen continet omnis superstitionis plena, utpote: libenter tibi procures indulgentias matris nostre sanctæ Ecclesiæ & sis deuotus & obediens matri nostre Romane Ecclesiæ & summo Pontifici, tanquam patri spirituali & porro: in fine obsecro te, o fili, quod si decedam ante te, quod tu fideliter animam meam iuuari facias in Missis & orationibus, & mittas per sanctas congregationes regni nostri ad orationum suffragia impetranda pro me & quod in omnibus bonis, quæ factururus es, participationem habeam specialem.*

dum sanctos sæpius inuocaret. \* Quid quod? persecutor erat Ludouicus verorum Christianorum, quales tum temporis erant Albigenses. \*\* Non dicam iam de Pontificibus, qui Pii nomine voluerunt insigniri, \*\*\* nec de S. Elisabetha, cuius vita omni superstitione est referta, nec de aliis pontificiorum sanctis, qui plerumque non nisi pietate historica excellent. Neque tamen omnes plane, qui Piorum nomine insigniuntur, tanquam a pietate alienos efferre ausim, quin potius supersunt exempla eorum, qui merito tales prædicantur. Pii enim nomen iuste fuerunt promeriti Henricus atque Ernestus Saxonix Duces, qui non a solis historicis, verum etiam a probis omnibus ob infucatae vitæ rationem hoc nomine designantur. Ast, a Principibus nos vertimus ad alios viros illustres, qui a pietate prædicantur. Inter hos eminet Q. Cæcilius Metellus,  
Pius

---

\* Guil. de Nangiaco p. 469. *cum ipsi sacramentum extremae vntionis exhiberetur & dicerentur septem psalmi cum letania, ipse in psalmis versus dicebat, & in letania Sanctos nominans eorum suffragia deuotissime inuocabat.*

\*\* Guil. de Nangiaco p. 409. *Iohannes de Bellomonte Albigensibus Apostatis perdomitis, ad dominum suum regem cum triumpho celeriter remeavit. Rex vero de tanta aduersus fidei Christianos inimicos latus victoria gratias retulit omnium creatori.*

\*\*\* Hinc, dum Pius V moreretur, sequens in lucem proferebatur distichon:

*Papa Pius Quintus moritur: res mira tot inter  
Pontifices tantum quinque fuisse Pios.*

Pius dictus, qui tamen potius luxuriosus dici mere-  
tur, cum Scriptores antiqui ipsius luxuriam non satis  
queant detestari. \* Sextus Pompeius Magni filius, ipse  
se in numinis \*\* Pium vocat, quod sane pietatis adfe-  
ctatio potius, quam veræ est argumentum? Eadem  
ratione L. Antonius Pietatis nomen in bello Perusi-  
no adsumsit, cum diceret, se illud bellum in  
fratris absentis gratiam suscepisse. \*\*\* Immo, ipsæ  
nonnunquam diœceses & territoria Pietatis quando-  
que nomen fuerunt sortita. \*\*\*\* Verum, vana hæc  
est Pietas, nuda & historica, quæ in solis verbis con-  
sistit, quod a vera pietate est alienum.

## Alia

\* Valerius Maximus *lib. IX. c. V.* Macrobius *lib. II. Saturn.*  
*c. IX.*

\*\* Nummum possideo, in quo circa caput Pompeii MAG. PIVS  
IMP. ITER. & quidem ille est, quem Vaillantius in nummis  
Conf. Vol. II. p. 269. habet, qui etiam rationem nominis Pii  
addit: *alludens in cognomine Pii tum erga Parentem suum, cum sym-  
bolice erga Sicilienses, dum Anapum & Amphinomum, Catanenses  
fratres, monitu Neptuni, quem ideo inter eos collocat, qui paren-  
tes humeris sublatis e periculo eximunt: vt narrat Strabo lib. VI.  
& de illis loquitur Corn. Severus in Ætna. Ita, vt etiam ille Pius  
erga patriam, qui tot proscriptos saluauerit, merito sit appellatus.*  
Hinc etiam in alio nummo pietatem repræsentat. Vid. &  
Beger Thef. Brandenburg. p. 574.

\*\*\* Dio Casius. *lib. XLVIII. p. 360.*

\*\*\*\* Ammianus Marcellinus *lib. XVII. p. 97.* *Aristenetus affe-  
ctatam recens diœcesin curans vicaria potestate, quam Constan-  
tius ad honoram vxoris Eusebie Pietatis cognomine dedicauit.*

Alia erat pietas beati Viri, SAMVELIS STRYCKII, non nuda sed pragmatica, & talis, qua Deum sequebatur. Nolo iam virtutes ipsius coaceruare, hoc saltem vel omnibus, qui eundem norunt, constat, quod erga Deum deuotus, erga omnes fuerit benignus, nemini molestus, erga pauperes largus. Hæc veræ pietatis imago, hæc actio quæ Deum sequitur. Fateor, magna sunt summi Viri merita in Rempublicam, magna in Iurisprudentiam, magna in omnem rem litterariam, immo in me quoq; magna, sane immerentem: ast, maior longe est laus pietatis, quæ ipsum vere reddit magnum immo immortalem. Quid igitur lugemus Virum, cuius vita est sempiterna? Iacturam quidem in tanto viro perpessa fuit Respublica & omnis orbis litterarius, ast, cum Te, Vir excellentissime, æque nouerit paternarum virtutum hæredem, sistamus querelas, potius memoriam B. STRYCKII seruabimus, vsque dum ipsi euocamur: hoc saltem ipsi relinquentes Epitaphium: \*

HOCCE BEATE QUIDEM TVMVLO TVA MEMBRA TEGVNTVR  
 SED NVNQVAM MERITVM PARVULA CLAVDIT HVMVS.  
 CORPVS HABET TELLVS ANIMAM COELESTIA REGNA  
 HIC SEDES PROPRIAS SINGVLA RITE TENENT.  
 DEVOTVS DOMINO VIXISTI CORDE FIDELI  
 DOCTORIS MVNVS SVB PIETATE GERENS  
 LARGVS PAVPERIBVS DIVES TIBI CARVS AMICIS  
 DIVINÆ LEGIS IVSSA VERENDA COLENS  
 ES FELIX LAVDVM TANTO CVMVLATVS HONORE  
 PERPETVIS MERITO IAM FRVITVRE BONIS.

\* Habet illud Reinesius corpore Inscr. p. 905. quod binis saltem verbis mutatis facillime adplicauimus.